



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

138. De obitu S. Egberti Archimandritae. Annus obitualis examinatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

D I S S E R T A T I O C X X X V I I . 531

uersans in Germania apud Bonifacium amicitiam inie-
tint, ut dicamus in Frisia versatum, S. Willib. adiuuam
se præbuisse. Ac esto fuerit in Frisia sedente Gregorio Wu-
nibaldus, contigit hoc diu post mortuum Willibrordum.
Quare sicut de Wilibalde ita de Wunibaldo falsa sunt ef-
fata, potius narratiunculae, eum S. Willibrordo in Fri-
sia operam suam probasse.

D I S S E R T A T I O C X X X V I I I .

De obitu S. Egberti Archimandritæ. Annus
obitualis examinatur.

Sanctissimus Archimandrita Egbertus salutis Fri-
siorum & circum vicinorum Barbarorum non
frigidus Zelator, quamquam eos in propria perso-
na conuenire nequirit cælestibus oraculis domi
detentus, Apostolicum tamen munus minimè se-
posuit, tum emittendo S. Willibrordum cum iusta auxi-
liarium manu ad eosdem: tum ipsem varias Hiberniæ
Scotiæ plagas peragendo, coinsulanos suos verbis instra-
endo, exempla præbendo, monasteria erigendo, forman-
do.

Tandem ad cœleste brauium à supremo Agonotheta euo-
catus deposita mortali ueste animam præclaris laborum
meritis adornatam incorruptibili seruo coronandam Deo
tradidit.

Fælicissimum eius transitum describit Venerabilis Be-
da lib. 5. histor. cap. 23. Mansit vir Domini Egbertus annos
13. in prefata Insula Hui, quam ipse velut noua quadam relucen-

se gratia Ecclesiasticae societatis & pacis Christo consecraverat anno
q. Incarnationis Dominica 729. quo Pascha Dominicum 8. Kalen-
darium maiorum die celebrabatur, cum Missarum solemnia in memo-
riam Dominice eiusdem Resurrectionis celebraret, eadem die &
ipse migravit ad Domum regium summe festinatus, quod cum
fratribus quos ad unitatis gratiam conuerterat inchoavit, cum Do-
mino & Apostolis ceteris q. celi ciuibus compleuit: Imo id ipsum ce-
lebrare sine fine non desinit. Mirabile Dominica dispensatio prouision-
is erat quod Venerabilis vir non solum in Pascha transiit de hoc
mundo ad Patrem, verum etiam cum eo die Pascha celebraretur quo
numquam prius in illis locis celebrari solet. Gaudebant autem fra-
tres de cognitione certa & Catholicis temporis Paschalis: letabantur
de patrocinio pergenius ad Dominum patris per quem fuerunt corre-
cti. Sicq. certus de illorum correctione Reuerendissimus Pater exul-
tauit ut videret diem Domini, vidit & gaesus est. Quorum ali-
qua dissertatione 13. sunt producta ad probandum non
fuisse Episcopum, nunc aliqua repetimus ad exitum coho-
nestandum.

N. hoc capite in editione qua utimur bis ab impresso-
ribus esse peccatum. Primo illis verbis, Si quidem anno ab
incarnatione Domini Septingentesimo sexto, decimo quo Osredo oc-
ciso Coenredus gubernacula regni Nordanhumberorum suscepit &c.
quasi anno Septingentesimo sexto in insulam aduenisset
Egbertus & ille annus 706. esset decimus quo Osredo oc-
ciso Coenredus regnare coepisset. Vtrumque falsissimum
conuincitur. Primum ex eodem capite ubi infra refertur
Egbertum per 13. annos usq; ad obitum nimicrum, in insula
Huij permanisse. Si 706. eò venisset, non 13. pro ut tex-
tus habet, sed per 29. annos eam incoluisse. Præterea
eum per 29. annos Huij non permanisse patet etiam ex
eius actis apud Bedam. Similiter falsum est annum Domi-
ni 706. esse decimum quo Coenredus occiso Osredo regnum
coepit,

cœpit. Siquidem anno 706 secundum dumtaxat annum regnauit Oltreus qui demum imperfectus est anno 716. succedente eodem anno Coenredo; quod videre est ex historijs Bedæ & alijs Anglicanis & clarissimè oculis exhibet Tabula Fastorum Regum atque Episcoporum Angliae impressa ad Historiam Malmesburiensis, Huntondonensis, Rogeri &c. Alterum peccatum est, obijisse Egbertum anno incarnationis Dominica 728., quo Pascha Dominicum Octauo Kalendarum Maiarum die celebrabatur; quod in primis difforme est ipsi textui: si enim, quod verum est, anno 716 in insulam deuenerit Egbertus & 13. annis manserit, non annus 728. sed 729 eius mortem exceptit.

Secundò. apud eundem Bedam lib. 3. capite 27. lib. 5. cap. vltimo & in epitome expressim legitur defunctus anno 29. quæ loca obseruasse defuit Baronio dum vitiosū cap. 27. fecutus ait obijisse anno 28.

Tertiò, annum 28. non consistere cum morte Egberti planissimè docet Cyclus Lunaris eius anni, scilicet 7. cum littera Dominicali posteriori (erat namque bissextilis) C. quibus incidentibus legitimum Pascha, quale Egbertus introduxit, celebratum fuit & celebrari debuit 4. Aprilis, non 8. Kalendarum Maiarum id est 24. Aprilis. Verissime vero celebratum fuit Pascha 8. Kalendarum Maiarum anno 29. existente tum Cyclo 8. cum litera Dominicali B. quibus concurrentibus celebrari debuit & celebratum fuit 8. Kalendarum Maiarum id est 24. Aprilis, qua die Egberti decepsum etiam recolunt Ecclesia, Kalendaria noua & vetera, Martyrologium Baronij, Molanus in additionibus ad Vuardum, in Natalibus SS. in Kalendario SS. Belgij impresso ad Vuard. Suffridus Petri apud Antonium Posseuinum in Apparatu sacro verbo Egbert. Egbertum obijisse anno 729. tenent etiam Hermannus Contra-

534. DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
atus in Chronico. Gretserus lib. primo obserua. in vitam
SS. Willibaldi & Wunibaldi cap. 9.

Hinc cauendus crassissimus error nescio qua oscitania
natus in Indiculo SS. Belgij Molani, vbi V. Egbertus legi-
tur: *Migravit (Egbertus) anno Domini Septingentesimo Vigefimo*
nono ipso die Pascha, sevimo Iduum Maiarum. Cum nec anno
729. nec vñquam Pascha Canonicum fuerit habitum 7.
Iduum Maiarum. Similis oscitania reperitur in Herma.
Contracto.

Hinc emendandus Serarius in notis ad epistolam Boni-
facij, emendandus Sigebertus in Chronico, quorum ille
annum 27. hic annum 30. statuit obitualem Sancti Eg-
berti; nam anno 30. litera Dominicali A. & Cijclo de-
cennouali 9. Pascha incidit in nonam Aprilis, non in vige-
stam quartam.

Reliquit Sanctus Egbertus posteris ingenij sui monu-
mentum, Tractatum Cærimon. Ecclesiæ teste Suffrido
apud Anto. Posseuinū in Apparatu sacro V. Egbertus. Ad-
dit Arnoldus Wion Conciones varias. Ornauit Sanctitas
doctrinam & doctrina Sanctitatem:

*Ornatum gemma splendet sic magis aurum,
Sic magis in auro gemma reposita micat.*

Merito illi festinos honores dedices O Frisia eius
auspicijs salutem consecuta quam procurauit San-
ctum Willibrordum Sociosque amandando, & laboran-
te Willibrordo quin eam consilijs, nouorum militum suf-
fectione, precibus, apud Deum promouerit, ne ambigas.

D I S S E R T.